THOMÆ CAMPANELLÆ GRAMMATICALIVM, LIBER PRIMVS.

De Grammatica in communi. Cap. I.

Definitio Grammaticæ.

Grammatica est ars instrumentalis Politiæ humanæ congruè, rationabiliter & simpliciter dicendi, atque consequenter scribendi, & legendi quidquid animo quacunque notitia percepimus.

DECLARATIO. ART. I.

DICITVR *Ars instrumentalis* ex suo genere, quo convenit cum Logica, Poëtica & Rhetorica & Historiographia, quæ omnes sunt artes non mechanicæ, sed speculativæ: at instrumentales, quoniam non per se, sed propter principales, & propter aliud sunt. Plato in Cratilo dixit, *Nomen est instrumentum indicans substantiam.* Tota ergo Grammatica